[...] capiat adsensionem ei quem inscientia est. Quibus assensionibus factis, ut illi dedita
inducta res propter similitudinem earum rerum quibus assensit, probet. Velud apud Socraticum Aeschinem
demonstrat Socrates cum Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam.
Dic mihi quaeso Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum quam tu
habes, utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem et ceterum ornatum muliebrem
pretii majoris habeat quam tu habes, tuumne an illius malis? Respondit: illius. Age enim,
inquit, quid si virum illa meliorem habeat quam tu habes, utrumne tuum virum malis an
illius? Hic mulier erubuit. Aspasia autem sermonem cum ipso Xenophonte instituit. Quaeso,
Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat quam tuus est, tuumne equum malis
an illius? Illius, inquit. Quid si fundum meliorem habeat quam tu habes, utrum tandem fundum
habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid si uxorem habeat meliorem quam tu
habes, utrum illius malis? Atque Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: quoniam uterque vestrum
mihi id solum non respondit quod solum audire volueram, ego met dicam quid uterque
cogitet. Nam et tu mulier optimum virum mavis habere, et tu Xenophon uxorem
habere lectissimam maxime vis. Quare nisi hoc perfeceritis ut neque vir melior neque
femina lectior in terris sit, profecto semper id quod optimum putabitis esse multo maxime
requiretis, ut et tu maritus sis quam optimae et haec quam optimo viro sit nupta. Hic cum
rebus non dubiis assensum esset, factum est propter similitudinem ut etiam illud quod dubium videretur
si quis separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur. Hoc in sermone
plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat,
sed ex eo quod sibi ille dederat quicum disputabat aliquid conficere malebat, quod ille ex
eo quod jam concessisset necessario approbare deberet. Qualis debeat esse inductio

Hoc in genere nobis praecipiendum videtur primum, ut illud quod inducemus per similitudinem
ejusmodi sit ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud quod dubium sit con-
cedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud cujus confirmandi causa fiet induc-
tio videndum est ut simile his rebus sit quas res quasi non dubias ante introduxe-
rimus. Nam nobis ante concessum esse nihil proderit, si ei dissimile erit id cujus causa illud
concedi primum voluerimus. Deinde ne intelligat quo spectent illae primae inductiones
et ad quem exitum sint perventurae. Nam qui videt, si ei rei quam primo rogetur recte assenserit,
rem quoque illam quae sibi displiceat esse necessario concedendam, plerumque aut non respon-
dendo aut male respondendo longius rationem procedere non sinit. Quare ratione
rogationis imprudens ab eo quod concessit ad id quod non vult concedere deducendus est.
Extremum autem aut taceat oportet aut concedat aut neget. Si negabitur, aut ostenden-
da similitudo est earum rerum quae ante concessae sunt aut alia utendum inductione. Si con-
cedatur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda responsio est aut, quoniam
taciturnitas imitatur confessionem, pro eo ac si concessum sit concludere oportebit argumenta-
tionem. Ita fit hoc genus argumentandi tripertitum. Prima pars constat ex similitudine una
pluribusve; altera ex eo quod concedi volumus, cujus causa similitudines adhibitae
sunt; tertia ex conclusione quae aut confirmat concessionem aut quid ex ea conficiatur ostendit.
Sed quia non satis alicui videbitur dilucide demonstratum, nisi quod ex ejus civili cau-
sarum genere subjecerimus, videtur ejusmodi quoque utendum exemplo, quo differat
praeceptio autem hoc in sermone atque in dicendo sit utendum, sed ut eorum volun-
tati satis fiat qui quod aliquo in loco viderint alio in loco non monstretur nequeunt cognoscere.

Decimus est per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur.
Undecimus per quem liberorum aut parentum aut sui corporis sepeliendi aut ali-
cujus ejusmodi rei commendatio fit. Duodecimus per quem disjunctio deploratur,
ab aliquo cum diducaris ab eo quicum libentissime vixeris, ut a parente, filio,
et fratre, familiari. Tertius decimus per quem cum indignatione conque-
rimur quod ab his a quibus minime conveniat male tractemur, propinquis, amicis,
quibus bene fecimus, quos adjutores fore putavimus, aut a quibus
indignum est, servis, libertis, clientibus, supplicibus. Quartus decimus qui
per obsecrationem sumitur, in quo orantur in illi qui audiunt humili et supplici
oratione ut misereantur. Quintus decimus per quem non nostras sed eorum qui cari
nobis debent esse fortunas conqueri nos demonstramus. Sextus decimus
per quem animum nostrum in alios misericordem esse demonstramus, et tamen amplum et
excelsum et patientem incommodorum, in praesenti esse et futurorum esse, si quid acciderit,
demonstramus. Nam saepe virtus et magnificentia, in qua gravitas et auctori-
tas est, plus proficit ad misericordiam commovendam quam humilitas et obse-
cratio. Commotis autem animis diutius in conquestione morari non oportebit.
Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacrima nihil citius arescit. Sed
quoniam satis videmur de omnibus partibus orationis dixisse et hujus voluminis longi-
tudo magnitudo longius processit, quae sequuntur deinceps in secundo libro [...]
L I C E O C S

Liber I Rethorice Artis Explicit

212

[...]

Quondam Crotoniatae cum florerent omnibus [...]
et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Junonis
quod religiosissime colebant, egregiis picturis lo-
cupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin,
qui tum longe ceteris excellere pictoribus existima-
tur, magno pretio adhibuerunt conductum. Is et cete-
ras quam plures tabulas pinxit, quarum non nulla pars
usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit,
et ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in se imago con-
tineret, Helenae pingere simulacrum se dixit. Quod Crotoniatae, qui eum muli-
ebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter
audierunt. Putaverunt enim, si quo ingenio plurimum plurimum posset, in eo magno
opere laborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque enim illos tum eos illa
opinio fefellit. Nam Zeuxis ilico quaesivit ab his quasnam virgines formosas ha-
berent. Illi autem statim hominem adduxerunt in palaestram atque ei pueros ostende-
runt multos, magna praeditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatae mul-
tum omnibus corporum viribus et dignitatibus ante steterunt atque honestissimas ex
gymnico certamine victorias domum cum laude maxima retulerunt.

[illegible] pr[illegible] corpora magno hic opere miraretur. Hoc inquit illi
sorores [illegible] apud nos virgines. Quare qua sint ille dignitate po-
testis [illegible] perspicere. Sed [illegible] queso in quod ex istis virginibus formo-
sissimas [illegible] pollicitus sum vobis ut mutum in simulacrum
ex animali exemplo veritas transferatur. Tum Crotoniate publico de consi-
lio virgines [illegible] exduxerunt et pictori quas vellet eligendi potestatem
dederunt. Ille autem quinque virgines delegit: quarum nomina multi poete
memorie prodiderunt quod eius essent iudicio probate qui pulchritudinis veris-
simum iudicium debuisset habere. Neque enim putavit omnia que quereret ad venusta-
tem uno [illegible] reperire se posse ideo quod nichil simplici in genere omni ex
parte natura expolivit. Itaque tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur
si uni cuncta concesserit aliud alii commodi [illegible] aliquo adiuncto incommodo
muneratur. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit ut artem dicendi perscriberemus
non unum aliquod proposuimus exemplum cuius omnes partes quocumque essent in
genere exprimende nobis necessarie viderentur. Sed omnibus unum in locum coactis
scriptoribus quod quisque commodissime precipere videbatur excerpsimus et ex variis
ingeniis excellentissima queque libavimus. Ex hiis enim qui nomine et memo-
ria digni sunt nec nichil optime nec omnia preclarissime quisquam nobis
dicere videbatur. Quare stulticia visa est aut a bene inventis alicuius
recedere si quo in vicio eius offenderemur aut ad vicia quoque eius accedere cuius
aliquo bene precepto duceremur. Quod si in ceteris quoque studiis a multis eligere
homines commodissimum quodque quam sese uni alicui certo vellet addicere
[illegible] in arrogantiam [illegible] non tantopere in vicium perseverarent. Ali-
quo levius et scientia laborarent. Ac si par in nobis huius artis atque
[illegible] pictura scientia fuisset, fortasse magis hoc in suo genere opus nostrum
quam illa pictura nobilis eniteret. Ex maiore enim nobis copia quam ille
fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe et ex eo numero virgi-
num que tum erant eligere potuit; nobis omnium quicumque fuerunt ab
ultimo principio huius preceptionis usque ad hoc tempus expositis copiis
quodcumque placeret eligendi potestas fuit. Ac veteres quidem scriptores artis usque
a principe illo atque inventore Tisia repertos unum in locum conduxit Ari-
stotiles et nominatim cuiusque precepta magna conquisita cura perspicue con-
scripsit atque enodata diligenter exposuit. Ac tantum inventoribus ipsis
suavitate et brevitate dicendi prestitit ut nemo illorum precepta ex ipsorum
libris cognoscat, sed omnes qui quod illi precipiant velint intelligere ad hunc
quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur. Atque hic
quidem ipse et sese ipsum nobis et eos qui ante se fuerant in medio posuit
ut ceteros et se ipsum per se cognosceremus. Ab hoc autem qui profecti sunt quamquam
in maximis philosophie partibus operere plurimam consumpserunt sicut et ipse
cuius instituta sequebantur fecerat tamen permulta nobis precepta dicendi re-
liquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte preceptores dicendi emanaverunt
qui item permultum ad dicendum siquid ars proficit opitulati sunt. Nam fuit
tempore eodem quo Aristotiles nobilis et magnus rethor Socrates cuius

Probabile autem est id quod fere solet fieri aut quod in opinione positum est aut quod habet in se ali-
quam ad hec quandam similitudinem sive falsum est sive verum. In eo autem genere quod fieri solet
probabile huiusmodi est. Si mater est diligit filium. Si avarus est negligit ius iurandum. De opini-
[I]n eo autem quod in opinione positum est huiusmodi probabilia sunt. Impiis apud inferos one
penas esse preparatas. Eos qui philosophie dent operam non arbitrari deos esse. De similitudine
Similitudo autem in contrariis et paribus et in hiis rebus que sub eandem racionem cadunt maxime
spectatur. In contrariis hoc modo. Nam si hiis qui imprudenter lesere ignosci convenit, hiis qui
necessario profuerint gratiam haberi non oportet. Ex pari sic. Nam ut locus sine portu navi-
bus esse non potest tutus, sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse. In hiis rebus que
sub eandem racionem cadunt hoc modo probabile consideratur. Nam si Rodiis turpe non est portorium lo-
care, ne Hermacreonti quidem turpe est conducere. Hec tum vera sunt hoc pacto: quoniam [illegible]
est fuit Ulixes. Tum veri similia hoc modo: si cicatrix erat et calceus pulvis [illegible]
Omnia autem ut certas quasdam in partes [illegible] oportebat
distribuamus. Probabile quod sumitur ad argumentacionem aut signum est aut credibile aut
iudicatum aut comparabile. Signum est quod sub sensum aliquem cadit et quiddam significat quod ex ipso
profectum videtur quod aut ante fuerit aut in ipso negocio aut post sit consecutum et tamen
indiget testimonii et gravioris confirmacionis ut cruor, fuga, pallor, pulvis et que his
[C]redibile est quod sine ullo teste auditoris opinione firmatur [illegible] similia
hoc modo. Nemo est qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat [illegible]
[I]udicatum est res assensione aut auctoritate aut iudicio alicuius aut aliquorum conprobata.
Id tribus in generibus spectatur: religioso, communi, approbato. Religiosum est quod iurati legibus
iudicarunt. Commune est quod homines vulgo probarunt et secuntur huiusmodi: ut maioribus natu
assurgatur, ut supplicum misereatur. Approbatum est quod homines cum dubium esset quale haberi
oporteret sua constituerunt auctoritate, velut Gracchi patris factum, quem populus ob id factum
quod insciente collega nichil gessit post censuram consulem fecit. [illegible]
[C]omparabile autem est quod in rebus diversis similem aliquam racionem continet. Eius partes sunt
tres: imago, collacio, exemplum. Imago est oracio demonstrans corporum aut naturarum simi-
litudinem. Comparacio (collacio) est oracio rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum est quod rem auctoritate
aut casu alicuius hominis aut negocii confirmat aut infirmat. Hec exempla et de-
scripciones in preceptis elocucionis cognoscentur. De fonte quoque confirmacionis ut facultas tulit
[Q]uemadmodum autem queque constitucio [illegible] pars est [illegible]
et pars constitucionis et omnis controversia sive in racione sive in scripto versetur tractari fere
debeat et que in quamque argumentacionem conveniant singillatim in secundo libro de uno
quoque genere dicemus. In presencia tantum sine numero ac modos et partes argumentandi
confuse et permixtim dispersimus. Post discripte et electe in genus quodque cause quid cuique conveniat
ex hac copia digeremus. Atque inveniri quidem omnis ex hiis locis argumentacio poterit. In-
ventam exornari et certas in partes distingui et suavissimum est et summe necessarium
et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare et de ea preceptione nobis et in hoc loco di-
cendum visum est ut ad invencionem argumentorum absolucio argumentandi adiungeretur
et magna cum cura et diligencia locus hic omnis considerandus est quod rei non solum magna
utilitas est sed et precipiendi quoque summa difficultas. [illegible]
[O]mnis igitur argumentacio [illegible]
aut per induccionem tractanda est aut per raciocinacionem. Induccio est oracio que rebus